

præscriptio, quancumque tempore possessio illa continetur: « quia possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit, » juxta reg. 2. juris in 6.

273. *Datur disparitas aliqua inter testem, et notarium publicum.* — Ad confirmationem negatur paritas inter notarium et testem, quantum ad propositum. Quia, ut quis sit testis, non requiritur auctoritas, seu specialis deputatio principis; sed generaliter omnes illi, quibus testimonium non reperitur interdictum, possunt esse testes. l. I. ff. de Testib. Secus dicendum in notario publico: unde patet magna disparitas, haud obstante, quod in aliis valeat argumentum a notario ad testem, et econtra.

274. *Valent instrumenta confecta per notarium qui ingressus est in quasi possessionem notariatus, sciente et patiente superiore, habente potestatem creandi notarios.* — Resp. II. Patitur nihilominus data conclusio quamdam limitationem, si videlicet quis ingressus fuisset in quasi possessionem notariatus sciente, et patiente superiore, habente potestatem creandi notarios, et fungeretur tali officio; nam tunc instrumenta per eum confecta, valerent. Ita Jason cit. l. Barbarius. n. 52. de Offic. prætor. post Anton. in cap. 1. de Fide instrument. Ratio est, quia postquam superior scivit, et tacuit, censetur tacite talem notarium confirmasse; unde constituitur is in quasi possessione officii notariatus, sicque valent gesta per ipsum: prout in simili de habente possessionem jurispatronatus, decernitur c. Consultationibus. 29. de Jurepatronat.

275. *Instrumenta confecta per notarium de crimine falsi condemnatum valent, si fuerint facta ante ejus condemnationem.* — Quæritur IX. An valeant instrumenta confecta per notarium, qui antea quidem legitime creatus, sed postmodum condemnatus fuit de falso in suo officio commisso? Resp. I. Valent instrumenta a tali notario ante ejus condemnationem facta quamvis hæc postea sequatur: sed instrumenta ab eo confecta post suam condemnationem, non valent. Ita Innocentius in c. Fraternalitatis. de Hæretic. et Abbas ibid. n. 3; Bartolus in l. Barbarius. § Quid de Notario. ff. de Offic. prætor.; Speculator tit. de Instrumentorum editione. § Restat videre. n. 35. et Joan. Andreas in Addit. ibid. vers. 1. fin. Pirhing h. t. n. 13. et alii. Prima pars sequitur ex dictis n. 268. quia ex quo talis notarius toleratur in officio, gesta ratione

publici officii propter publicam utilitatem non retractantur, licet postea sequatur depositio ipsius arg. l. Barbarius. ff. de Offic. prætor. et can. Infamis personas, 3. q. 7. § Verum tamen. Accedit quod sententia contra notarium lata, non debeat aliis nocere, l. Lucius Titius. in fin. De iis, qui notantur infam. cum similibus.

276. *Sed instrumenta ab eo confecta post suam condemnationem, non valent.* — Altera vero pars desumitur ex cit. c. Fraternalitatis. 4. de Hæretic. Quia, ex quo damnatus est auctor falsitatis, opera ejus, veluti falsarii, nequeunt amplius facere fidem: nam qualis est auctor, talia præsumuntur opera ejus. Textus et Glossa in casu cit. c. Fraternalitatis. Concordat reg. 8. juris in 6. « Semel malus, semper præsumitur esse malus, » saltem in eodem genere delicti, ut explicat Glossa ibid. Accedit, quod notarius de crimine falsi convictus, et condemnatus, hoc ipse removeatur a publico officio notariatus: unde locum habet, quod statuitur. l. Si aliquid c. de Susceptorib. lib. X. ubi Bartolus in Summario breviter sic ait: « Non potest qui exercere officium, in quo semel deliquit. »

277. *Instrumenta si habeant plura capitula, et in uno horum sit admixta falsitas circa substantialia negotii, ob quam postea notarius damnatur, probabilius reprobatur in totum.* — Resp. II. Instrumentum ante condemnationem notarii confectum, si habeat plura capitula, et in uno capitulo sit admixta falsitas circa substantialia negotii, ob quam postea notarius ille damnatur, et deponitur, probabilius reprobatur in totum. Ita Abbas cit. c. Fraternalitatis. n. 4. post Innocentium, ibid. de Hæretic. Bartolus l. Si ex falsis. § Adverte tamen. c. de Transaction. istud intelligens, quando falsitas provenit ex persona notarii, qui sua malitia, vel dolo, commisit falsum in uno ex substantialibus. Eandemque sententiam plures alii tenent apud Menochium de Præsumptionibus. lib. V. Præsumpt. 22. n. 3. cui etiam multum favet Speculator tit. de Instrumentorum editione. § Instrumentum ergo. n. 10. et 11. quamvis in contrarium alleget Tancredum, et quosdam alios, qui volunt, quod tunc reprobentur sola capitula connexa cum falso, non vero separata: quam contrariam sententiam etiam sequitur Menochius cit. præsumpt. 22. n. 32; Fachineus l. IX. Controvers. juris. cap. LXXIX. et probabilem censet Pirhing h. t. n. 52.

278. *Idque multipliciter probatur.* — Ratio

conclusionis est quia fides instrumenti publici pendet a fide et probitate notarii; ut inquit Menochius loc. cit. n. 4. allegans Glossam l. Si quis ex argentariis. § 1. ff. De edendo. Ergo, si falsitas instrumenti circa substantialia negotii procedit ex vitio notarii ob id condemnati, hoc ipso totum testimonium ipsius utpote falsarii reprobatur: nam fides notarii est quid individuum, atque ex ea pendet fides instrumentorum. Confirmatur, quia si testis aliquam falsitatem circa substantialia adjiciat suo testimonio, dictum ejus reprobatur in totum, utpote perjuri, can. Pura. 3. q. 9. ac notat Glossa c. In nostra. vers. Adversa. de Testib. Farinacius, de Testib. q. 67. numer. 178. allegans plurimos alios. Ergo a pari idem est dicendum de instrumento notarii: nam etiam hic est aliquis testis, l. Domitius. ff. de Testament. valetque argumentum a teste ad notarium, juxta dicta paulo superius n. 266. Concordant ea, quæ in simili dicta sunt l. I. tit. III. De Rescriptis. § 8. n. 175. et seqq. ubi ex professo, atque solutis contrariis, fusi ostensum est, quod subreptio, contingens in una parte rescripti diversas partes habentis, probabilius vitiet in totum, ergo ob paritatem rationis, idem dicendum est in proposito.

279. *Falsitas circa substantialia negotii, quæ? Summa, seu quantitas, pars est stipulationis, sicque est quid substantiale.* — Additur notanter in conclusione, « admixta falsitas circa substantialia negotii. » Qualis contingeret, si notarius falso scripsisset, contractum fuisse celebratum circa unam rem, v. g. equum, qui fuit factus circa aliam rem, v. g. vaccam; num error, seu falsitas circa substantiam rei, procul dubio est substantialis. Idemque fieret, si notarius scripsisset, Titium debere Caio viginti, cum scribendum fuisset decem: quia « summa, id est, quantitas, pars est stipulationis, » seu instrumenti, in quo continetur stipulatio; ac proinde est quid substantiale, l. I. § Editiones, juncta Glossa vers. Summa. ff. de Edendo. Unde commissa per notarium tali falsitate, merito corrumpit totum instrumentum.

280. *Falsitas circa accidentalialia non vitiat instrumentum.* — Secus dicendum, quando falsitas contingit circa aliquod extrinsecum, et non substantiale: ut quia scripsit, contrahentes esse talis nationis, seu consanguineos, affines, aut quid aliud, quod non facit ad negotium. Etsi enim istud sit falsum, non

tamen ideo vitatur totum instrumentum: quia nihil facit ad contractum venditionis, permutationis, etc. undecumque sint contrahentes, vel an consanguinei existant, necne, arg. c. Cum deputati, 16. de judiciis. Innocentius, et Joan. Andreas c. Fraternalitatis. n. 1 et Abbas ibid. n. 4. de Hæretic. aliique passim.

281. *Si testis deposuit falsum circa accidentalialia duntaxat, valet ejus testimonium quoad cætera.* — Simile quid contingit in testibus. Licet enim, si testis deponit falsum in substantialibus quod unam partem, dictum ejus reprobetur in totum: quia reperitur perjurus, can. Pura. 3. q. 9. et can. Si testes. 4. q. 3. § Qui falso, cum similibus. Secus tamen est dicendum, quando deposuit falsum circa accidentalialia duntaxat, seu circa circumstantias nequiquam facientes ad substantiam negotii, de quo agitur: adhuc enim valet ejus testimonium quoad cætera, cum nihil sit quod impediatur fidem ipsius. Joan. Andreas, et Abbas, ubi supra. Farinacius de Testibus, quæst. 67. n. 179, allegans plurimos alios; atque subjungens, ita solere tenere Rotam.

§ X.

DE REPROBATIONE INSTRUMENTORUM PER TESTES.

282. *Probatio per testes, an sit validior probatione per instrumenta? Ponuntur rationes negativam tenendi.* — Quæritur I. Utrum probatio per testes validior sit probatione per instrumenta, atque hanc elidere valeat? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, desumitur ex l. In exercendis. c. de Fide instrument. ubi dicitur: « In exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium: » Ubi proinde summarium sic habet, « Tantum valet instrumentum ad probandum, quantum depositiones testium, et econtra. » Accedit, quod instrumentum majori cum præmeditatione fiat, ac depositio testium: unde et facilius, certiorque est probatio per scripturam, quam per testes; eo præsertim, quod horum memoria sit labilis, ac subinde etiam mutabilis, l. Hac consultissima. § At cum humana. c. de Testament. Atque idcirco plures dantur casus, in quibus scriptura requiritur, et testes non sufficiunt; horum enim triginta quatuor enumerat Glossa in cap. 1. vers. In scriptis. de Censib. in 6. Verum his non obstantibus:

283. *Probatio per testes, simpliciter lo-*

quando, est validior, digniorque probatione per instrumenta. — Resp. I. Probatio per testes, simpliciter loquendo, est validior digniorque probatione per instrumenta. Ita Abbas in rubric. de Testib. et Baldus ibid. Felinus rubric. de Fide instrument. n. 1; Mascardus de Probat. Quæst. Proëm. §. n. 2. et seqq. allegans communem, contra Accursium in rubric. ff. de Fide instrument. et nonnullos alios. Probatur imprimis istud ex ordine titularum juris canonici: nam in isto, sicut et in jure civili lib. IV. Codicis quamvis secus fiat lib. XXII. Digestorum: prius agitur de Testibus, quam « de Fide instrumentorum: » atqui aliquid esse dignius altero, recte desumitur ex ordine titularum prout tradit Cardinalis in rubric. de Statu monachor. Bartolus in l. I. ff. de Confirmat. tutor.; Mascardus loc. cit., n. 7, allegans alios. Nec mirum: quia etiam ex ordine verborum est argumentandum; adeo, ut primo nominatus censeatur cæteris dignior, arg. can. Inter verba. 11. q. 3. juncta Glossa ibid. vers. Præmittit. ac notat Fagnanus c. Bonæ memoriæ. n. 70. de Postulat. prælat. citans alios.

284. Idque varie probatur. Primo nominatus censetur cæteris dignior. — Id ipsum probatur rationibus, quarum novem assignat Baldus, et Felinus, ubi supra. Quia, ut aliæ taceantur, dignior atque æstimabilior est vox viva, quam mortua; ut Auth. de Instrument. cautel. §. Si quis igitur. collat. 6. ubi dicitur, quod quis caute depositurus non confidat soli accipientis scripturæ (hæc enim potest negari) sed advocet etiam testes. Unde non debet quis testificari per schedulam, sed viva voce, c. Tua. de Cohabitat. cleric. cum similibus. Quia « alia est auctoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quæ recitari solent; » prout habetur. l. III. ff. de Testib. et can. Si testes. 4. q. 3. §. Alia est auctoritas. Siquidem anima organo vocis exprimit suam voluntatem, atque intentionem, et voces sunt signa passionum animi; cum nemo existimandus sit dixisse quod mente non censerat, l. Labeo. §. fin. ff. de suppellect. legat. Hinc acuitas vivæ vocis fortius, atque efficacius, movet animum auditoris: ac plurimum in excutienda veritate vox ipsa aliquid dicentis affert, l. De minore. §. Tormenta. ff. de Questionib.

285. Probatio per testes est vera, et naturalis, probatio per instrumenta est extraordinaria, et artificialis. — Accedit, quod probatio per testes sit vera et naturalis, juri que divino

consona, juxta illud Salvatoris Matth. XVIII, 16. In ore duorum aut trium testium, stat omne verbum. Econtra probatio per instrumentum est extraordinaria et artificialis; estque quodammodo quid prodigiosum, ut credatur pelli animalis mortui cunctis tacentibus; prout post Innocentium c. Cum P. et c. Cum Joannes. h. t. loquitur Abbas c. Tertio loco. 5. de Probat. et Felinus ad rubric. de Fide instrument. n. 1. et Mascardus loc. cit. n. 3, allegans alios. Unde ulterius, et conformiter datæ conclusioni.

286. Fides instrumentorum potest reprobari, atque elidi depositione testium. — Resp. II. Probatio per instrumenta, seu fides instrumentorum potest reprobari, atque elidi depositione testium, legitime opponentium aliquid contra valorem, aut veritatem instrumenti. Ita communis; et patet ex c. Tertio loco. 5. de Probat. et c. Cum Joannes. 10. §. Porro. de Fide instrument., ubi referuntur tales casus, in quibus instrumentum per testes fuit reprobatum; ac notant Glossa, et doctores passim. Nam generale est, quod ex contrariis probationibus fortior, seu efficacior, prævalere debeat, l. Ob carmen. §. fin. ff. de Testib. ac vincat, quod potentius est, l. Generaliter. ff. de Fidejussorib. cum similibus; estque jam dictum supra tit. XIX. de Probationibus, §. 4. n. 76. et seqq.

287. Instrumentum inducit notarium, et facit rem manifestam, etc. Quale? — Nec obstat, quod instrumentum inducat notarium. Abbas c. Cum olim. n. 9. et 10. de Censib. juncta Glossa fin. ibid.; Bartolus in l. I. §. Venio ad questionem. n. 8. et Jason ibid. n. 10. ff. de Novi operis nuntiat. Sigism. Scaccia lib. II. de Judicis. cap. VII. n. 152; Menochius de Recuperand. possess. remed. 1. n. 224. Et faciat rem manifestam, sitque probatio probata. Baldus l. Quoties. in fin. c. de Judicis; Jason, Menochius, ubi supra, et alii. Resp. enim, istud procedere loquendo de instrumento confessato, seu contra quod a parte adversa nihil opponitur: secus dicendum, quando opponitur aliquid rationabile contra validitatem instrumenti. Menochius loc. cit. n. 22. asserens, instrumentum ita demum rem claram facere, cum nihil illi objicitur: nam si opponatur, et in controversiam vocetur, res clara esse desinit; ut probat Bartolus in l. Si causa cognita. n. 4, et ibi Alexander n. 9. c. de Transaction.; Cravetta, consil. 299. n. 8; Decius, consil. 351, n. 9. et sequitur Scaccia cit. cap. VII, n. 156.

238. Eandem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium; et quomodo? — Neque obstant rationes dubitandi n. 282. in contrarium allatæ. Nam imprimis textus ex l. In exercendis, c. h. t. relatus, vult duntaxat, quod eadem sit instrumenti, ac testium vis quoad probationis effectum, si nihil ipsis oppositur: quia tunc æquiparantur, paremque habent vim probandi; cum tam testes, quam instrumenta, plenam faciant probationem. Abbas c. Tertio loco. n. 5. de Probat. et c. Cum Joannes. n. 5. h. t.; Pirhing h. t., n. 73, vers. Quare. Secus dicendum, quando testes contradicunt instrumento, illudque reprobant veluti falsum, seu invalidum: quia tunc non obtinent eandem vim, sed cæteris paribus prævalent testes. Glossa n. cit. l. In exercendis; Abbas d. c. Cum Joannes. n. 5. h. t.; Mascardus de Probat. quæst. 6. proëm. n. 22. et alii.

289. Testes plenam fidem faciunt in criminalibus: instrumenta vero directe non probant crimen. Verbum Litis, non criminalem, sed civilem causam designat. — Tacetur, quod testes plenam fidem faciant etiam in criminalibus, l. Sciant cuncti. c. de Probat. cum similibus; instrumenta vero directe non probent crimen: unde in criminalibus testes personaliter debent apud iudices comparere, Auth. Apud eloquentissimum. c. h. t. ac fuse ostendit Joan. Andreas reg. « Semel malus. » n. 4. et seqq. de reg. Jur. in 6. Atque ideo vel ex hoc capite major est vis testium, quam instrumentorum, quoad effectum videlicet probandi in criminalibus. Quod ipsum indicat textus ex cit. l. In exercendis litibus, etc., relatus; nam verbum litis, non criminalem, sed civilem causam designat, l. Litis nomen. ff. de Verb. signif.

290. Instrumenti valor stat eo usque, donec aliquid probabile contra illud asseratur. — Ad alteram rationem n. 282. in contrarium allatam dicitur, ipsam habere locum, quando contra veritatem, seu valorem instrumenti, nihil rationabile opponitur: alias secus. Nam valor, ac prærogativa instrumenti stat quidem eo usque donec aliquid probabile, et rationi consentaneum contra illud fuerit allatum; secus, si per testes probetur ejus falsitas, aut alius defectus substantialis. Quia etiam in instrumentis posse committi falsitatem, patet ex cit. c. Tertio loco. de Probat. Ut taceantur alii defectus substantialis, qui in instrumentis possunt intervenire, illudque invalidum reddere, conformiter hactenus dictis.

291. Ubi requiritur scriptura ad substantiam actus, testes non sufficiunt. — Ad tertiam dicitur, illud esse speciale in casibus illis, in quibus jure sic disponente requiritur scriptura ad substantiam actus, sive contractus, sicque testes non sufficiunt: ut l. Contractus venditionum. c. h. t. cum aliis casibus, per Glossam cit. cap. I. v. In scriptis de Censib. in 6. relatis. Secus dicendum in cæteris casibus, seu ubi scriptura necessario non debet intervenire. Verum occasione præmissorum.

292. Per testes instrumentarios qualiter possit instrumentum impugnari? Testes instrumentarii, et extranei, qui? — Quæritur II. An, et qualiter per testes instrumentarios possit instrumentum impugnari ac reprobari? Et additur notanter, « per testes instrumentarios: » plures enim impræsentiarum possunt casus distingui. Vel enim testes illi, qui instrumentum impugnant, sunt instrumentarii, hoc est, descripti in instrumento, seu inscripti (puta, si in instrumento dicatur, contractum aliquem fuisse celebratum præsentibus Titio, Caio et Andrea testibus) aut etiam ipsi subscripti: uti fit in testamentis. Vel non sunt instrumentarii, sed impugnatur instrumentum a, « testibus extraneis; » hoc est, non descriptis, aut subscriptis in instrumento. Atque de utroque testium genere possunt plures casus formari, de quibus in progressu, incipiendo a testibus instrumentariis, de extraneis autem agendo in sequenti quæstione. Unde:

293. Quando testes instrumentarii adhuc vivunt, omnesque adversantur instrumento, censetur istud omnino falsum. — Resp. I. Quando testes instrumentarii, seu instrumento inscripti aut subscripti, adhuc vivunt, simulque omnes adversantur instrumento, dicentes, se non interfuisse confectioni illius, aut non esse ita actum, prout in ipso continetur: tunc ejusmodi instrumentum non solum redditur suspectum, sed omnino censetur reprobum et falsum, nisi testes illi falsitatis convincantur. Ita Innocentius c. Cum Joannes. et ibi Joan. Andreas n. 7. et Abbas n. 14, h. t.; Bartolus l. In exercendis. n. 3. et 7. c. h. t.; Pirhing, n. 71; Menochius de Arbitrar. Judic. lib. II. cas. 103, n. 9, allegans alios. Idque patet ex cit. c. Cum Joannes. 10. h. t. ubi instrumentum publicum, in quo continebatur, venditionem ejusdam domus puram extitisse, reprobat per quatuor testes, qui jurati deposuerunt se interfuisse contractui illi, dictæque domus venditionem extitisse

conditionatam. Concordat *c. Tertio loco. §. de Probation.* ubi simile instrumentum reprobatum, veluti falso confectum nomine Universitatis, quæ tamen antea semper contradixerat, ubi probatur per testes juratos, nec contra hoc par. adversa quidpiam opponere valebat. Accedit ratio, quia testes adhibentur instrumento; ut per eos compleatur fides instrumenti. Auth. *de Instrument. cautel. et fide. §. Sed et si instrumenta.* et *§. Si vero.* collat. 6. Atqui istud non fit, quando omnes testes contradicant instrumento; prout argumentatur Bartolus, et Menochius, ubi supra; ergo.

294. *Idemque dicendum, quando major pars testium inceptorum contradicit instrumento.* — Et quod hic dictum est de contradictione omnium testium instrumento inceptorum, procedit pariter, si longe major pars ipsorum instrumento contradicat: prout desumitur ex *c. Tam litteris. 33. §. fin. de Testib.* ubi reprobatum instrumentum nomine majoris partis capituli confectum, cum constiterit per legitimas attestaciones, longe majorem partem capituli non fuisse consciam ejusdem. Accedit, quia fides instrumenti vacillat ob contradictionem unius testis instrumentarii, l. I. *§. Si quis se neget. ff. Quemadmodum testament. aperiant.* ubi si unus testium in testamento descriptorum negaverit suum esse sigillum, redditur testamentum suspectum: ergo magis, si omnes, aut saltem longe major pars contradicat.

295. *Solvitur instantia. Absentia testium qualiter probari possit?* — Dices. Singuli testes qui negant confectioni instrumenti se fuisse præsentem, sunt in suo testimonio singulares: ergo per eos nihil probatur contra valorem instrumenti; cum tales singulares non probent, *c. Licet causam. 9. §. Quamquam. de Probat.* et *c. Cum dilectus. 32. de Election.* cum similibus. Resp. Quidquid sit de antecedenti: nam singulorum absentia potest probari; vel per alios, qui forte tunc aderant ac viderant, istos tempore facti instrumenti non interfuisse; vel saltem indirecte, probando videlicet, quod eodem die alibi extiterint. Verum, quidquid si de antecedenti, negatur consequentia: nam dictum illud, quod testes singulares non probent, præcipue locum habet in singularitate obstativa, et diversificativa; secus in adminiculativa, prout ex professo dictum est supra tit. XX. *de Testibus. §. 97. n. 291, 294, 297. et seqq.* Atqui in proposito vel nulla inter-

venit singularitas, puta, si aliunde constet de horum singulorum absentia: vel ea est duntaxat adminiculativa, cum testes ejusmodi concordent in dicto suo, quod nempe instrumentum sit falsum, utpote in quo ipsi fuerunt falso inscripti, *c. Quanto.* « De his quæ fiunt a prælat. » Alioquin certe libera cuiquam malitiose notario daretur facultas conficiendi falsa instrumenta, testesque pro libito inscribendi, si isti veluti testes singulares contradicere non possent.

296. *Quod si duo v. g. testes in scripti contradicant instrumento, tunc aut remanet legitimus numerus testium stantium pro instrumento; et valet.* — Resp. II. Quod si duo v. g. testes in scripti contradicant instrumento, asserentes, se non interfuisse eidem, vel saltem non ita actum fuisse, prout in ipso continetur: tunc aut remanet legitimus numerus testium stantium pro instrumento, et valet instrumentum; aut non remanet legitimus testium numerus (hoc est necessarius, aut sufficiens ad probationem, seu valorem instrumenti) tunc instrumentum redditur suspectum, vel etiam falsum, nisi per alios idoneos testes ejus veritas probetur. Ita Glossa in l. I. vers. *Suspecta fiunt. ff. Quemadmodum testament. aperiant,* ex textu ibidem inferens, quod vox unius testis, negantis v. g. sigillum suum testamento appositum, inducat suspicionem: si tamen præter hoc adsint alia sufficientia sigilla: sufficiat, arg. l. III. *c. Si ex falso instrument.* Idem docet Joan. Andreas *c. Cum Joannes. n. 8. et Abbas ibid. n. 14. et Felinus n. 50. h. t.; Covarruvias lib. II. Variar. resolut. cap. XIII. n. 11, concl. 2; Menochius de Arbitrar. judic. lib. II. cas. 105, n. 27. allegans plures alios; quamvis auctores hæc in re varie loqui, et sentire ultro fateatur Abbas loc. cit., n. 13, 14; Mascardus de Probation. concl. 921. n. 9; Pirhing h. t., n. 71, cæteroquin etiam tenens datam conclusionem.*

297. *Hujusque ratio.* — Ratio prioris partis est, quia, ubi adhuc superest numerus legitimus, ac necessarius testium pro validate instrumenti deponentium, hoc ipso instrumentum illud est firmatum sufficienti testium numero, simulque publica notarii auctoritate; ergo non est, cur reprobetur contradictione quorumdam testium supervacaneorum, utpote qui non ex necessitate, sed ex superabundanti duntaxat adhibiti fuerunt. Probatur consequentia, tum quia instrumentum ejusmodi jam est firmatum

sufficienti auctoritate, qualis nimirum de jure requiritur; tum quia alioquin utile vitaretur per inutile seu per supervacaneos testes, contra reg. 37. juris in 6.

298. *Magis creditur duobus affirmantibus, quam mille negantibus; et cur?* — Confirmatur. Quia testes stantes pro valore instrumenti, deponunt affirmative: alii vero, qui negant se interfuisse, aut contenta in instrumento vera esse, deponunt negative. Atqui magis credendum est de duobus affirmantibus, quam mille negantibus; prout loquitur Joan. Andreas cit. n. 8. vers. *Quod si non omnes,* etc. addita ea ratione, quia possibile est, quod ubi etiam multi præsentem sunt, duo tantum ad id quod agitur, sint attentum, aliis non advertentibus, vel non curantibus; atque ideo aptius et naturalius est testimonium affirmantium quam negantium veritatem. Hinc (ut exemplificat Covarruvias, ubi supra, concl. 2.) si instrumento in scripti fuerunt quinque testes, cum duo tantum fuissent necessarii, et illud duorum testium viva voce comprobetur, non poterit reliquorum trium contrario testimonio reprobari, auctore Baldo consil. 228. l. II. cum accedit Aymon consil. 56. n. 9. Ita Covarruvias.

299. *Aut non remanet legitimus numerus testium; et non valet instrumentum.* — Altera vero pars datæ conclusionis, nempe non valere instrumentum, si non remaneat legitimus numerus testium, desumitur ex cit. l. I. *§. fin. ff. Quemadmodum testament. aperiant,* ubi testamentum ad vocem unius ex septem testibus, ad illud spectato jure civili necessario requisitis, ac negantis suum esse sigillum, redditur suspectum. Unde Bartolus ibid. in *Summario,* sic loquitur: « Unus ex testibus necessariis adscriptis in testamento contradicens, fidem testamenti facit vacillare. » Accedit ratio, quia, si unus ex testibus necessariis contradicat instrumento, remanet instrumentum sine debita solemnitate; ergo hoc ipso plene non probatur, nisi aliunde adjuvetur, prout argumentatur Felinus cit. *c. Cum Joannes. n. 50. h. t.* istud firmans ex l. *Jubemus. c. de Probation.*

300. *Si aliqui testium non absolute negent, sed dicant se non amplius recordari, etc., sustinetur instrumentum.* — Resp. III. Quod si aliqui testium non absolute negent instrumentum, vel contenta in eo, sed solummodo dicant, se non amplius recordari, an intulerint, vel quid tunc actum fuerit, tunc instrumentum sustinetur. Joan. Andreas d.

c. Cum Joannes. n. 8. vers. « Sin autem testes » et Abbas ibid. n. 14, h. t.; Menochius cit. cas. 105. n. 31, allegans alios. Ratio est, quia, cum probatio instrumenti publica manu confecti, de se sit plena ob auctoritatem testimonii publici notarii, non debet fides ejus vacillare per depositionem incertam, et dubiam talium testium. Dubitatio enim, vel suspicio non est tantæ virtutis ut omnino debilitet instrumentum: quinimo in dubio faciendâ est benigna interpretatio, ut res potius valeat, quam pereat, *c. Abbate. 25. de verb. signif. junctis concordantiis a Glossa ibid. v. « Valere possit potius, »* relatis.

301. *Valet quoque testimonium testium, qui recordantur celebrati, v. g. contractus, non tamen anni, mensis, aut diei, quo is factus est.* — Hoc ipsum, et quidem a fortiori, est dicendum, quando testes bene recordantur celebrati v. g. contractus, non tamen anni, mensis aut diei quo is factus est: quia nihilominus valet testimonium eorum, uti est casus in cit. *c. Cum Joannes. junctâ Glossa v. Recordari. h. t.* Nisi forsitan ageretur de ipsomet tempore probando; ut *c. Ex tenore. 35. de Testib.*

302. *Valet instrumentum publicum, etsi testes in scripti interea fuerint mortui. Et, vid. si negetur esse genuinum talis notarii instrumentum?* — Idem dicendum, quando testes instrumento publico in scripti, interea temporis fuerunt mortui quia nihilominus instrumentum valet, cap. II. h. t. argumento a sensu contrario desumpto. Nisi forsitan alia ratione illud impugnetur, ut puta negando quod sit genuinum talis notarii instrumentum: in quo casu, deficientibus aliis probationibus, ad comparationem litterarum deveniendum esse, præstito prius per petentem juramento, quod non malignitatis causa ipsam petat, textus est, in Auth. *de instrument. cautel. et fide. §. Si vero moriantur.* collat. 6.

303. *Aut testis asserat, se non ita dixisse, sicut notarius scripserat. Remissive.* — Quid autem juris sit, quando testis asserit, se non ita dixisse, sicut notarius scripserat, jam dictum est supra tit. XX. *de Testibus. §. 8. n. 275.* Ubi nonnulla alia de auctoritate testimonii notarii publici dicta reperiuntur.

305. *Potest instrumentum reprobari etiam per testes extraneos.* — Queritur III. An, et quod testes extranei, seu instrumentum non in scripti, sufficiant ad istud impugnandum? Resp. . Certum est osse instrumentu